22

Q. D. B. V.

THESES MEDICÆ
DE
CATALEPSI EPILEPTICA,

Quas

ASSISTENTE DIVINA GRATIA,

Conſenſu & Authoritate Inclyti Medicorum Ordinis in Illuſtri Academia Eberhardina,

PRÆSIDE

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO, PHIL. ET MED. DOCT. AC PROF. PUBL. ORDIN. CONSIL. ET ARCHIATRO WURTEMBERG. h.t. FACULTATIS MED. DECANO.

Dn. Patrono atque Præceptore ſuo omni obſervantiæ cultu ſubmiſſè proſequendo,

Publicæ Ventilationi
ſubjicit

JOHANNES GEORGIUS **Glock** / **Hala-Suev.**

H. Lq; Solitis
Ad diem Novembr.

TUBINGÆ.

Typis MARTINI ROMMEII.
Anno M DC XC.

Σ. Θ.

THESIS I.

QUid Catalepſis ſit, quæ Ejus Hiſtoria, Idéa, Subjectum & Cauſæ, ex Authorum monumentis huc non reducam, cùm de Catalepſi non quavis, ſed *Epileptica* breves ducere lineas (Faveat DEUS!) animus mihi ſit.

2. Cùm enim vel in vel poſt paroxyſmum membra Epileptici manent in eodem ſtatu immobilia, rigida, Catalepſi utique laborare dicendus. Quia verò & Epilepſia, & convulſio, & ſpaſmus, & motus convulſivi, (novi, quomodo hæc diſtinguant,) talem inducere ſolent Catalepſin, ſub nomine Epilepticæ etiam, quando convulſiva, ſpasmodica huic jungitur, comprehendo, cùm curatio unius & alterius non aut parum diſtet.

3. In hoc, quem intendo, Affectu partes corporis modò potiſſimæ, modò quædam, non collabuntur, non jactantur, ſed in ſitu eo, quo fuerant ante illam invaſionem permanent rigidæ, fixæ, immobiles, tenſæ, ſenſim & ſenſim, aliquando etiam ſubitò motu debito redeunte; Senſus plerumque & actiones animales internæ imminutæ, abolitæ ſunt, aliquando non, modò cum, modô ſine dolore. Variæ junguntur agitationes ſpasmodicæ in una vel altera parte: Obſervavi nervorum & muſculorum faciei, præprimis oris & labiorum talem. Vult Æger aliquando corpus movere, ſed non poteſt: Comitari aut ſuccedere non raro ſolet mœſtitia animi, ægritudo: pulſus & reſpiratio plerumque, non ſemper, ſunt naturales. Multum variant alia adjungi ſolita ſymptomata, ceu vertumnoſæ eſſe ſolent convulſiones, ſpasmodici motus, epilepſia, quæ in ſpecialibus caſibus variationes generaliter recenſeri non poſſunt: nonnunquam talis paroxyſmus diu durat, nonnunquam citò ſolvitut & Æger penitus ad ſe redit. Licèt ex *Fernelio*, & Aliis ita rigere in catalepſi membra dicant, ut affecti illa pulſi progrediantur, ut brachium, manus, crus,

inflecti potuerint & ita ſtabilia manſerint, tamen rigiditatem omni flexioni reſiſtentem *Buchananus*, *Jacotius*, *Valeriola* & Alii obſervarunt, quod & utrumque de Epileptica obſervare datur.

4. Eſt hæc Catalepſis (ſi definiri velis.) *Partium corporis ſpasmodica rigiditas in aut poſt paroxyſmum Epilepticum, a ſpirituum animalium irritatione tendente & detentione ſ. ligatione, dependens.*

5. Eſt Symptoma motus aboliti, quia pars non movetur, ſed potiſſimum *depravati*, quia rigida tenſa manet.

6. *Subjectum* ſunt corporis partes, motu tam voluntario quam ſpontaneo ſ. naturali, (quatenus à voluntario diſtinguitur, ita dicto, aliàs propter ſpiritus motores etiam animali) præditæ. In ſpecie, fibræ motrices, carneæ, tendinoſæ invicem implicitæ.

7. Non *externæ* ſolùm, ſed & *internæ* partes: ſæpè enim convulſiones internæ Ægros aggrediuntur, imò necant, cum unus vel alter Medicus illum affectum Syncopen aut Apoplexiam eſſe cenſet.

8. *Subjectum Cauſale* eſt membrana nervea ex fibrillis contexta, ſpiritibus animalibus perfuſa, potiſſimùm ſi p. n. tenera, denudata, aut ipſius lympha glutinoſa vel imminuta vel aliena acrimonia infecta eſt; præſertim ſi tale quid ſubitò accidit.

9. *Cerebrum* cùm primò & primariò afficitur, ob membranam ipſius nerveam fit; hæc in quacunque parte dicendo modo laceſſita, malum inducere ſolet. Nec hoc ſolum modo, ſed & remotiori ſubjectum cauſale poſſunt eſſe ſingulæ variæ partes, imò & Maſſa Sanguinea. Ganglioformes nervorum plexus plurium affectuum & inter hos convulſivorum, à vitio ſanguinis ſpiritui animali communicato pendentium, fontes eſſe tradit *Vieuſſens*.

10. *Cauſa proxima & immediata* eſt Spirituum animalium & propter membranam nerveam hîc vel ibi laceſſitam, vellicatam, punctam, læſam, irritatio talis, ut impetuosè in partes irruant, extra terminorum naturalium centrum acti, ipſas tendant, ac immobiles reddant: & ipſorum inſimul detentio, à craſi debita, textura, ſubtilitate, mobilitate, continuitate, activitate, irradiatione & vigore dejectio, depreſſio, conturbatio, ſtupor, ligatio, revocatio, occupatio, ut ſe expandere, lumen activum diffundere, liberè hinc inde moveri non poſſint.

11. Sub iſto niſu & detentione ſpirituum cur ideæ ſenſuales determinatæ, ad quas inſtrumentum potiſſimum dicti ſunt ſpiri-

tus

tus, cur mentis imperium impeditum ſpiritus animales non determinet, cur plerunque ſenſus externi, interni aliæve actiones animales turbentur, ceſſent, facilè ex prioribus patet.

12. Iſtam partis tenſionem & rigiditatem varia *Mechanica*: Valvularum nimirum in tubulis muſculoſis, verſus muſculos antagoniſtas, plicationes, revulſiones, detorſiones, dislocationes, fermentum ſanguinem in ſpumam agens, cui ſpumæ eodem modò inducantur ſpiritus quo ventus ſive aër aquæ ſaponi mixtæ; tractio inſtar funis, impletio, diſtenſio, inanitio, exploſio; viciſſitudo & variatio tubulorum oriunda ex commotione funiculorum in faſciculum quendam combinatorum, haud obſcurè exponunt: ſed tamen talia huic non per omnia conveniunt.

13. Nec *Chymica* indolem cauſæ penitus determinant. Acida enim, mercurialia, ſulphurea, vitriolata, aluminoſa, armoniaca, narcotica, &c. aliàs accuſari ſolita non exprimunt aut reſtinguunt ita acrimoniam hîc hoſtilem, inimicam, vellicantem, quin τὸ ſingulare, ſui generis, peculiare, certum, &c. addendum ſit.

14. *Seminium* hujus affectus diu ſæpè latitat in corpore, antequam matureſcat & in actum erumpat, obſtetricantibus variis, præſertim ſex rebus non naturalibus, & abeuntibus illis, quæ detinebant, ſubjugabant, mitigabant, vinciebant. Hinc filius à malo patris liber in filium & ita nepotem, imò ultra transferre malum valet.

15. *Spiritus vitalis*, nonnunquam cauſæ rationem ſubit, ſed non primariæ, non immediatæ.

16. *Vapores, halitus, flatus*, tàm in ſe, quàm ob mineræ, cujus indolem retinent, conditionem non raró primas in cauſando obtinent.

17. Quivis *humores* ſ. ſucci corporis naturales & præternaturales apti ſunt ſunt ad contrahendam illam ſingularem acrimoniam vellicantem, pungentem & perverſam diatheſin figentem, ligantem.

18. Nervoſi generis nativa aut hæreditaria debilitas & tener ſenſus occaſionem huic malo non levem præbent.

19. Vitæ genus curas, ſollicitudines, meditationes, ſtudia nimia requirens multum contribuit.

20. Aſtra quid hîc valere Solſtitia, Æquinoctia, Novi- & Pleni-Lunia monſtrant.

21. Diuturna ſub radiis ſolaribus commoratio ab *Hippocrate* jam accuſata fuit.

22. Vinum, præſertim nimis generoſum & omnia alia inebriamina, non levem vim in affectu tali movendo ac ſovendo exerunt.

23. Ira, tædium, metus, terror, timor, ſæpius valde propinquæ hujus Catalepſeos fiunt cauſæ.

24. Inter plurimos affectus anſam morbo huic præbentes etiam eſt Odontalgia.

25. Partes in hypochondriis ſitæ, & inter illas potiſſimum Ventriculus ſicut non leve imperium in cerebrum & partes nerveas exercent variis in morbis, ita & hîc.

26. *Differentias* quasdam à ſubjecto, gradu, & cauſis patitur affectus hactenus deſcriptus.

27. *Signa* potiſſimùm recenſet Hiſtoria Theſ. 3. explicata.

28. *Diſcernit* Catalepſin à Syncope & Apoplexia membrorum rigiditas cum aliis: à comate vigili, à rigidis à fulmine, à frigore congelatis non ſolum prægreſſa cauſa, ſed & alia occurrere ſolita ſymptomata: Ecſtaſin, ſive late, ſive ſtrictè accipiatur, noſtrum affectum haud eſſe ſomniorum & viſionum abſentia, præter alia, docet: Ab Aphonia, cum qua multum convenit, diſtinguit ipſam itidem membrorum ordinaria hîc rigiditas, & unius l. alterius partis jactatio.

29. Prudens Medicus etiam *ſimulantes* Catalepſin prodere debet, quo *Rondeletius* laudem meruerat.

30. Quà Paroxyſmum plerumque *brevis*, quà frequentiorem recurſum *chronicus* haud rarò eſt hic Affectus. Paroxyſmus *ceſſat* cauſa præſente propulſa, diſſipata, emendata, excuſſa, enervata, obtuſa, ſopita: Vel ſpiritibus deficientibus aut aliò avocatis. *Redit*, cùm minera priori imbuitur tinctura, vel profligata denuò generatur, ſpicula, quæ refracta fuerant, denuò acuuntur. Nec enim hanc, nec Catalepſin in genere, (quod cum *Dodonæo Heurnius* vult,) nulla ſequitur recidiva.

31. *Difficilis* ablatu eſt, quia non ſolùm per ſingulos paroxysmos ſpiritus magis læduntur, debilitantur, ſed inprimis, quando malum diu latuit & altas egit radices, antequam eruperit.

32. Malum hoc *Curaturus* cauſæ, non ſymptomati, opponat medicamenta.

33. *Venæſectio* larga, perfrequens nunquam conducit.

34. *Vlcuſcula* arte fruſtra non excitantur.

35. *Pur-*

35. *Purgantia* in Paroxyſmo non conducunt; nec tamen Clyſteres aut ſuppoſitoria penitùs ablegantur.

36. *Vomitoria*, ſi ſaburra inprimis viis hærens mali cauſa ſit, conducit.

37. *Diuretica*, *Diaphoretica* ſuo munere fungentia, non parum juvant.

38. *In Paroxyſmo*, naribus, temporibus, pulſibus, vertici, cervici quantum poſſibile eſt, adhibeantur, aſpergantur, illinantur, labiis, linguæ guttatim inſtillentur: oleum, eſſent. fum. ſuccin. liq. CC. ſuccinat. caſtoreum, ejusque ſpiritus, oleum, eſſent. extract. &c. Balſ. de Peru, d. Tholu, apoplect. ſuccin. &c. aſ. fœtid. galban. rutha rec. ejus ol. balſam. &c. ol. lavendulæ, anthos, ſalviæ, garyophyll. camphor. ol. ſuccin. camphor. ſpiritus ſal. armoniac. diverſi generis, CC. fuligin. urin. cran. homin. cochlear. aut alius ex ſimilibus compoſitus, &c. aq. Epilept. L. Anhaltin. aut alia ſimilia, vel per ſe vel mixta. Vellicationes, frictiones, pectinationes, inuſtiones, veſicatoria, ſinapiſmi, applicationes, variæ & dolorificæ in partibus externis inſtituantur. Clyſteres aut ſuppoſitoria acria applicentur.

39. Aquas illas ſpirituoſas, aut aq. roſar. aut aq. commun. aut etiam acetum, nonnunquam frigidè faciei inſpergere conducit. Aliquando acetum præſtat in theſ. priori laudatis.

40. Quamprimum fieri poteſt, exhibeatur Aq. Epileptic. L. ceras. n. fl. tiliæ pœon. hirund. c. caſtor. lil. convall. cum eſſent. caſtor. ſpir. lilior. convall. ceras. nigr. ſal. armoniac. c. confect. Alkermes. Syr. l. ſuccus pœon. &c.

41. *Extra Paroxyſmum* probè perpendendum Medico: an calida, an ſpirituoſa, an volatilia conducant, an ſecus? an illa ſola, an cum mitigantibus mixta? an abſorbentia temperantia ſola?

42. Inter *calida*, *volatilia*, *ſpirituoſa* ſunt: Aq. epileptic. L. ſpir. lil. convall. &c. Theſ. 38. & 40. recenſita. Sal. ſuccin. CC. Cran. hominis; alia varia volatilia oleoſa, urinoſa, Rad. valerian. Roſmarin. Majoran. Serpill. Thym. Salv. &c. Elix. vit. Q. Math. Spec. diambr. diamoſch. d. diapœon &c.

43. *Mitigantia*, *diluentia*, *temperata & temperantia*, *emendantia*, *enervantia*, *abſorbentia*, *imbibentia*, *nervina* maximè proſunt. Inter alia e. g. CC. Alcis, Rhinocerot. Unicorn. Cran. hominis,

dent.

dent. apr. Ebur, modò cruda modo philoſ. ut vocant calcinata, Gelatin. ex his, Ungul. Alc. Succin. Smaragd, Cryſtall. præparat. Cinabar. nativ. Ægagropil. Rad. pœon. Sem. pœon. Viſc. quern. Aq. ceraſor. n. juſcul. recent. herb. alterata, decoct. herb. Thé Pulv. Marchion. (qui contra ſuos adverſarios facilè defendi poteſt) vel, qui hîc uſitatus, compoſitus, cui & aurum fulminans Celeberrimum Medicum addidiſſe novit Excell. Dn. *Præſes*, qui Pulv. Epilept. mirab. Mynſ. addere ſolet, ut magis antepilepticus fiat. *Craanen* pulv. fol. aur. ſubtiliſſimè tritum cum corall. r. præparat. præſcribit.

44. *Anodyna*, Narcotica magnam requirunt prudentiam.

45. Medicamentorum diuturna requiritur *continuatio*: nec enim ſubitò mutari, tolli apta eſt cauſa morbifica: ob quam moram impatientes ægri ſæpè medicamenta mutant, progreſſi etiam ad ea, quæ ratione carent, cum magna ſua noxa.

46. *Acidulæ* multum proſunt, præſertim, ſi ante & poſt illarum uſum pulv. antepileptici in uſum ducantur, de quibus in th. 43.

47. *Externa* non vertici ſolùm, naribus & cervici, ſed & cordis ſcrobiculo, umbilico, ſpinæ dorſi & aliis partibus applicita proſunt. Inter Externa laudari merentur pinguedo viperina, ol. è floribus Slotan. Balſ. apoplect. ruth. ſuccin. lavendul. Elix. vit. &c.

48. *Transplantationes* ſuperſtitioſas non admitto. *Amuletis* effectus ſæpè alii cauſæ debitus adſcribitur.

49. *Cibi* vel per ſe, vel facili corruptione acrimoniam inimicam contrahentes à menſa exceſſe jubeantur.

50. Pro *potu ordinario* (non ſemel abſtinentia à vino hoc malum abſtulit) propinetur decoctum ex Viſc. quern. CC. uſt. cum modico vel galang. vel ſemin. fœnicul. vel cinamom. vel L. ſaſſafras & ſimil.

SIT DEO LAUS HONOR ET GLORIA.